



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Distribvtio Meditationvm & Monita Nonnvlla Methodum in vsu Exercitiorum
seruandam contingentia.S

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

DISTRIBVTIO
MEDITATIONVM

&

MONITA NON NVLLA

Methodum in vsu Exercitiorum seruandam
contingentia.

I.

EXercitiorum libellus admirabilis à S. Ignatio Societatis IESV fundatore concinnatus, tam perfectus, numerisq̄ue omnibus absolutus est, vt ad fructum ex eo colligendum, satis sit illum intelligere, & præscriptam in eo methodum sectari: verùm vt hæc illius intelligentia euadat amplior, fructusq̄ue vberior, potest quiuis methodum illam generalem peculiari aliquo medio, quod aptum censèbit ad finem illum, quem sibi in Exercitijs proposuerit, assequendum, reddere magis expeditam, quemadmodum libellus ipse permittit, (a) commendat, committitq̄ue discretioni Directoris, cuius partes sunt, attendere ad diuersitatem personarum, exercitijs incumbentium, earumq̄ue conditioni dispositioniq̄ue sese attemperare.

(a) *A. mot. 18. 19. 20. Exerc. de Inferno, & in Direct. c. 10. 9. 11. & 12.*

II.

A diuina prouidentia est hæc statuum conditionumq̄ue, quam in alijs atque alijs aduertimus, varietas, à qua etiam disposita sunt varia media ac methodi, vt cuique liberum sit,

* 3

istud

DISTRIBVTIO

istud deligere, quod videbit esse in rem vtilitatemq; suam, sed caueat, ne dum methodum aliquam alteri anteponit, alteram vilipendat; vt enim censere possimus hanc, quàm illam nobis esse accommodatiore aptioremq; nefas tamen est, eandẽ absolutè meliore & quibusuis personis conuenientiore iudicare. (a)

(a) *Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ, omne genus placet, Eccl. 37.*

III.

Ne puta igitur hanc tibi methodum offerri, velut exquisitissimam commodissimamque earum omnium, quæ produci queant: verum experire, sitne ea tibi commoda, & crede, illam meditandi, sacrisque exercitationibus vacandi rationem, eatenus fore bonam, quatenus tibi apta fuerit & proficua.

IV.

Huius methodi ea commoditas est, quod veluti compendio proponat ob oculos totam Exercitiorum, ipsiusque vitæ spiritualis ideam: ita vt nullo negotio clarissimè videri queant ea, quorum maximè studio tenemur; illic discatur vnde ordiendum, quàm progrediendum, & vbi finiendum sit.

V.

Vulgaris quidem ascetarum opinio est, tres vias esse perfectionis, quibus incedendum sit, & priorem quam vocant Purgatiuam, conuenire incipientibus; alteram, quam Illuminatiuam indigitant, esse proficientium; & tandem

MEDITATIONVM.

tandem tertiam, Unitiuam nomine, spectare ad perfectos: sed intelligere qua ratione hic progressus fiat facile, æquè, ac securè, id demum mysterium est, & tota sanctæ huius diuinæque scientiæ industria.

VI.

Libellus Exercitiorum plurimum affert luminis dum trium hoc viarū ordine, meditationes omnes disponit, sumpto ab illis initio, quæ seruiunt Purgatiuæ, & deinceps alias proponendo: at quia plurima permiscet documenta, quæ potius ijs conueniunt, qui nullum adhuc statum, in quo Deo seruiant, inire, quàm illis, qui iam stabili conditioni inhærent, fierique inde procliue sit, vt non planè pateat ordo & consecutio eorum, quæ in libello continentur, hinc ostenditur nexus mutuaque meditationes inter congruentia, quod ad hunc declarandum ordinem non parum prodest.

VII.

Hanc ob rem referuntur hæ omnes meditationes ad certa quædam principia seu effata, Maximas, & veritates fundamentales perfectionis, quæ semel rectè comprehensæ intellectum instruunt ijs omnibus quæ scire, agereque necesse est; voluntatem ad ea prosequenda inflammant, & memoriæ seruiunt, vt eorum nusquam neque vnquam obliuiscantur, & vt oblata quacumque occasione opere ipso exercentur.

* 4

VIII.

DISTRIBVTIO

VIII.

In eo igitur præcipuè sita est hæc metho-
dus, quòd methodicè regulariterque tractet
exercitia, totumque ordinem & progressum
vitæ spiritualis: quòd tradat breuem & expeditum
illius vsum, quem faciliè intelligentia
assequaris, mediteris, memineris & exercites
opitulante gratia spiritus sancti, qui cum li-
buerit, quiduis sine ordine & methodo qui-
dem potest, facere tamen omnia mavult in
pondere, numero & mensura, hoc est, regula-
riter & ordinatè.

IX.

Hæc effata fundamentalia seu præcipuæ
Veritates sunt numero 24. quæ præbent ma-
teriam totidem meditationibus, per dies
octo; reperiunturq; separatim in initio cuius-
que meditationis & iunctim omnia ad finem
horum monitorũ, tum vt tabellæ vicem sub-
eant, tum vt appareat nexus, quem habent &
inter se, & cum ordine libelli exercitiorum.

X.

Vt verò perfectè agnoscat hęc connexio
veritatum & progressus perfectionis, quo
quotidie gradatim meditando promoues;
scire ante omnia oportet, necessariam esse vi-
uam apprehensionem finis, propter quem su-
mus in hoc mundo, qui est veluti scopus &
terminus, quò contendendum est, quod pri-
mo die Exercitiorum per tres illic propositas
veritates commonstratur. Et quoniam ple-
rumque à fine nostro non auertimur, nisi
quod

MEDITATIONVM.

quod obsequamur inclinationibus à natura inditis, genioque nostro, qui aliò nos abducit, sollicitè illi est attendendum: & vt clarius innotescat periculum, quo natura nostra nititur nos à fine nostro diuellere, tantum conijcendi sunt mentis oculi in vitæ præteritiæ rationes, quantum ijs ab illo aberrauerimus, aduertendumque nos solius genij, cui nimium indulsumus, vitio, in tot scelera prolapsos, quod secundo die in tribus oblati ad meditando veritatibus intelligemus.

Verùm vt eius rei calamitas meliùs apprehendatur, dumtaxat opus est, seriò sibi mortem, iudicium atque æternitatem proponere, istic enim tandem concluditur negotium salutis nostræ, & inde optimè discitur, quanti ea sit momenti: atque hoc argumentum est veritatum tertio die considerandarum, quæ id etiam efficiunt vt serio animi proposito discernamus, mores vitamque perfectè corrigere, quò gradum reuocemus in veram viam, quæ nos ad scopum, finemque nostrum vnde exerraueramus, deducet. Et cum alia eò perueniendi via non sit, quàm Exemplum Christi Iesu, ostenditur id reduci ad tres illos perfectionis actus: *abstinere, agere & pati*, qui sunt tres præstantissimi modi illum imitandi, perueniendique ad finem nostrum, iuxta illud, quod nobis inculcauit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* (a) Quarto die hæ veritates expenduntur.

(a) Luc. 9.

* 5

cur

DISTRIBVTIO

tur. Quinto verò, peculiariter in mysterijs infantis Christi aduertitur, qua ratione fit *abstinendum*. Sexto, quo modo *agendum*, ex consideratione Dei hominis inter homines versantis, agentisque, Die septimo, discimus *pati* ad exemplum nobis in eius passione propositum. Ex quo denique accidit, vt homo cum Christo sic suis inclinationibus, affectibusque naturæ parùm ordinatis, qui auertere illum à suo fine possent, mortuus, cum eodem resurgat, euadatque in hominem omnino spiritualem, qui non viuat iam ex legibus stimulisque naturæ, sed gratiæ qui non referat amplius imaginem Adami terreni, sed cælestis, per constantem ac firmam æstimationem vitæ spiritualis, quæ illo pacto fit via Vnitua, via amoris, quæ tantum Deo nos vnit quantum auellit à reliquis rebus creatis omnibus; quæque tam nos efficit spirituales, vt nihil non spirituale, Deoque dicarum, in nobis patiat. Eò nos ducunt veritates vltimæ diei exercitiorum. Postea verò, quàm meditando has vsurpaueris, melius agnosces, vnus ab altera dependentiam consecutione prorsus naturali, sentiesque notitiam huius ordinis, & seriei non incundam solùm esse, verùm etiam perutilem ad meditandũ, fructumque Exercitiorum capiendum, qui est corrigere atque ordinare semper vitam in melius ex præscripto vitæ spiritualis, quæ tota in eo consistit, vt quis seipsum exuat, induatque Iesum Christum,

flum,

MEDITATIONVM.

stum, atque ita finem suum consequatur: Hinc vrgetur perpetuò hæc sui aggrediendi, oppugnandi, vincendiq; necessitas, inde enim pendent omnia, & testatur S. Ignatius non alio se sine sacras Exercitationes composuisse.

XI.

Hæ veritates hoc ordine digestæ, propositæque ad meditandum, continent epitomen librorum omnium, cunctarumque instructionum, quæ tradi cuius possunt, vt ad status sui perfectionem promoueat; quare oportet illas sibi reddere familiares, sibi applicare, earum memoriam retinere & affectum, vt quibusuis casibus vsui sint & præsidio: Gustus enim ille, qui in meditationibus persentiscitur, diffluere facile potest, at veritas perpetuò manet, & aliàs nõ minus stimulare nos debet, ad opus statui nostro conueniens benè peragendum, quàm tum, cùm eius gustu sensuque in oratione caperemur, *si vos manseritis in sermone meo, inquit Christus, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatē, & veritas liberabit vos, Ioan. 9.*

XII.

Veritates hæ tam fœcundæ sunt, plenæque documentorum, vt necesse fuerit ad eas explicandas primo puncto diutiùs inhærere. quò declararetur earum præstantia, & quam continent, utilitas decerperetur: at quoad affectus & proposita, quæ in duobus reliquis punctis eliciuntur, sufficit ea paucis perstringere, vt cuique foret liberum, in eadem excurrere,

DISTRIBVTIO

currere, pro modulo suæ deuotionis.

XIII.

Materia, vt patet, varia est, ideoque pro ratione argumenti poterunt præparatoriæ orationes atque præludia variari: forma tamen modulique meditandi in omnibus meditationibus est idem, quandoquidem primum punctum contineat declarationem veritatis propositæ, vt eadē occupetur intellectus, eamque bene cognoscat; secundum aduertit animum ad vitam antea actam, & statum præsentem vt applicata veritate veluti normâ, appareat quantum illi congruant vitæ nostræ rationes, & quantum à natura compositi simus, affectique, vt ad illam nos effingamus. Punctum tertium futuris prouidet, dum nos cogit ad elicienda proposita consentientia veritati, & affectibus ab ea commotis: non quòd non liceat subinde hunc punctorum ordinem immutare, cum eò præter morem abripimur insolito stimulo, (tunc enim ordo nullus melior est, quàm stimulo obsequi) sed vt ostendamus, nisi accedat ordo sublimior, huic tamquam accommodatissimo, & ad persuadendum aptiori, esse insistendum.

XIV.

Excitare quis se potest diuina aspirante gratia, in primo puncto ad teneros quosdam affectus fidei. Gratiarum actionis, admirationis, laudis & amoris Dei, tales veritates nobis manifestantis; at in secundo puncto affectus

MEDITATION VM.

ctus sunt longè acriores vehementioresque: nam simul atque animaduerta est vitæ nostræ nostrarumque naturalium inclinationū cum veritate dissensio, illicò pudore suffundi debemus, atque humiliari, ac de præteritis efflagitanda venia est, & sinceris contritionis actibus satisfaciendum, seria & non fucata sui accusatione. Tertio verò puncto conduplicantur affectus ad exercitationem oblatæ veritatis, generosè repellendo, quidquid obicis apponi posset, seu ab utroque nostro appetitu, seu ab humanis mundanisque rationibus; designando loca, tempora, aliasque circumstantias vt opere ipso cum diuina gratia exequamur, quod didicerimus esse faciendum adeò vt, tametsi omnes animæ facultates singulis punctis impendantur, magis nihilominus occupetur intellectus in primo puncto, voluntas in secundo, & in tertio memoria, vt factorum propositorum recordetur.

XV.

Recollectio seu examen consequens orationem, vt alibi dictum est, omitti nunquam debet, atque ita instituenda, vt non solum aduertatur, benène profecuti simus materiam, quoad operationem intellectus, verum etiam multoque magis, an affectus & proposita elicuerimus consentanea Veritatibus.

XVI.

Singulis diebus tres dumtaxat meditationes assignatæ sunt, quarum binæ matutinis horis

DISTRIBVTIO

horis absoluentur, tertia vespertinis, eò quòd tempus pomeridianum sit, ad meditandum ineptius, at tum instituenda est consideratio, quæ leuius aliquod, faciliusque meditandi genus est, nam sufficit legere, sibi que proponere materiam considerandam, quæ non est tam speculatiua & interior, quàm externa, & practica, cum plerumque desumpta sit aut circa regulas Religiosorum, aut circa quotidianas solitasque actiones, congruè ad vnius cuiusque statum & conditionem, quarum aliquam designationem hîc habes, in exemplum alterius argumenti, quod expendere fortasse magis adluberet: verùm imprimis semper attendenda est obligatio seu regulæ, seu actionis, quæ consideratur, expendendo incitamenta & rationes; deinde notandi defectus præteriti; demum capienda emendationis consilia, & inquirenda media, quæ in sua cuiusque conditione offeruntur.

XVII.

Est & aliud quoddam genus considerationis liberius, minusque fixum, cui per diem vacare possumus, ad modum occupationis interioris, is præcipuè temporibus, quæ quasi vacua sunt, vt, à sumptione cibi, tempore recreationis, & alijs horarum particulis, quæ designatas occupationes non habent, modicè animum applicando, siue interea deambules per cubiculum, siue domum obeas. Non oportet esse omninò otiosum, sed neque mentem

MEDITATIONVM.

tem nimum contendere, quid igitur? suauiter te occupa, recolendo quasdam orationis, considerationis & meditationis reliquias.

XVIII.

Non est fatigandus & exhauriendus animus multa lectione, sed conseruandus in meditationem & considerationes, quæ sunt propria exercitiorum studia, tamen, cum aliquod sit tempus lectioni destinatum, necesse est eam fieri ex libris selectis, quique aliud non spectent, quam animæ profectum. Eius generis est scriptura sacra, libellus exercitiorum, Thomas de Kempis nunquam negligendus, dissertationes Salesij, Granatensis, Rodericius, vita Sancti alicuius, apta ad motus in te concitandos, & similes alij: ipsa etiam lectio harum meditationum, vicem obtinere poterit lectionis spiritualis.

XIX.

Etiã tempus sumendum est, ad annotandas veritates, affectus & proposita, quæ maximè mentem affecerunt, vt sit ad manum, quo nos vrgeamus stimulemusque ad ea quæ facere decreuimus, adimplenda.

XX.

Præcipuè autem habeas omnes diei horas ita distributas, earumque ordini sic inhære, vt sola te ratio casus alicuius, qui prævideri non potuit, inde abducat, non affectus, qui sæpe latet sub specie pietatis vni potiùs exercitio, quàm alteri, addictæ. Tolerari istud potest

DISTRIBVTIO

test in personis aut valde imperfectis, aut omninò perfectis, sed in exemplum aliorum abire non debet. Quædam sæpe indulgentur imperfectioribus, vt nondum aptis ad solidã illam omnimodamque sui victoriam, qui que possent à pietate resilire, si illa omnibus illorum affectibus repugnaret. Perfectioribus etiam, & in vita spirituali absolutis, laxantur habenæ, tanquam ijs, qui Deo coniuncti sunt, & à Spiritu S. ducuntur, nullum alium ab ijs ordinem exigendo, quàm quem illi sibi præfigunt per instinctum Spiritus sancti & gratiæ, à quibus possidentur, quod verò ad te atinet, nisi hoc tibi arroges, ut censeas te esse ex numero perfectorum, aut te nimium palpes in tuis imperfectiõibus, regi te permitte, certumque habeas & exploratum, nunquam te securiùs ambulaturum cum Deo, quàm cum minimè tibi ipsi, tuisque viribus inniteris, & cum fidelissimè obseruabis ordinem quem vel alius tibi præscripsit, vel tu ipse præfinueris, iuxta typum sequentem, cui addi, & demi, prout conditio feret exercitantis, potest.

TYPVS ORDINIS DIURNI pro Tempore exercitiorum.

Manè.

Hora 5. surgitur.

5. & dimidia, Prima meditatio horaria.

6. & dimidia, Recollectio, & Officium Prime,
fi

MEDITATIONUM.

si legitur Breuiarium, aut Officium paruum B. V. vsque ad Tertiam.

7. *vel circiter* scribi potest aut confessio generalis, aut lumina in oratione excepta, & proposita in futurum, aut simile quid.

7. *& dimidia* Lectio libelli exercitiorum, prout in singulos dies annotatum est.

3. *quadrante ad* 8. Officium Tertiae & præparatio ad sacrum.

8. Sacrum.

3. *quadrante ad* 9. Lectio & præparatio meditationis secundae, & si tempus superfit, caput Thomae de Kempis eo die præscriptum.

9. Altera meditatio.

10. Recollectio, Officium sextae, & examen temporis matutini.

10. *& dimidia circiter*, Prandium.

Diebus ieiuniorum à medio 11. ad medium 12. scribi aliquid potest per semihoram, alterâ legi in libro spirituali, quem aut selegeris, aut legendum à directore accepisti.

à Prandio.

Quadrante post 11. aliqua remissio animi, aut colloquendo cum directore, seu illo, quem is submiserit; aut deambulando loco apertiore, mentemque aliqua consideratione, de qua monito 17. occupando.

Quadrante post 12. Officium Nonae.

Medio

DISTRIBVTIO

Medio 1. Examen particulare circa ordinem diurnum, & regulas exercitiorum.

3. Quadrante Lectio libelli exercitiorum.

Hora 1. Rosarium.

1. Quadrante Lectio scripturæ sacrae, aut Thomæ Kempensis.

Medio 2. Consideratio magis seria de argumento, eo die, proposito.

Quadrante post secundam Vesperæ.

Medio 3. Visitatio Ven. Sacramenti, & si commoditas est horti, fauetque aura, non nihil laxare animum, aut corpus aliquo opere exercere, aut deambulare in cubiculo, vacando piæ alicui cogitationi, aut ordiri id quod sequitur.

Hora 3. Adnotare fructus meditationum & considerationum.

Medio 4. Completorium & lectio vitæ alicuius sancti.

Hora 4. Officium matutinarum, aut B. V. aut alia vocalis oratio pro ratione temporum & affectuum qui nos stimulant.

3. Circiter quadrante Præparatio orationis, & aliquid ex Thoma Kempensi pro modulo temporis.

5. Tertia meditatio.

6. Recollectio

1. Quadrante lectio annotatorum eo die.

Medio 7. Cœna.

Hora 7. Recreatio seu colloquium spirituale.

8. Litanîæ B. Virginis, & Sanctorum.

1. Qua.

MEDITATIONVM.

1. *Quadrante* Præparatio meditationis in sequentem diem.

Medio 9. Examen totius diei, aut ab examine meridiano.

3. *quadrante.* Cubitum itur.

Diebus ieiunij cuncta fiunt vna hora tardius vsque ad 1. quadrantem post septimam, quando Collatio sumitur, cætera sunt, vti diebus alijs.

Quòd si experiaris primo die, tempus aut abundare, aut deficere ad præstandas res præfinitas, poterit illud aut præueniri, aut differri, omiſſis ijs, quæ minùs necessaria videbuntur.

TABELLA

Viginti quatuor Veritatum quæ per octo dierum Exercitia Meditationibus materiam subministrant; & considerationum quotidie instituendarum.

PRIMO DIE.

De fundamento Exercitiorum & Fine Hominis.

PRIMA VERITAS.

Primum principium vitæ spiritualis in eo consistere, vt cognoscatur finis noster vltimus: nos idèd solùm viuere, vt eum assequamur neque tam necessarium esse, nos viuere quàm non alio viuere, quàm ad illum finem.

SECUNDA VERITAS.

Tã vniuersim in omnibus actionibus nostris contendendũ esse ad finem illum, vt, si aliqua pars vitæ, non ea intentione ordinetur, dicere nõ possimus nos nõ viuere, nisi ad hunc finẽ.

TER.